

S. C. resp. ad 1: Servandum omnino Rituale praescriptum;

ad 2: Ut ad proximum.

Die 7. Septbr. 1850.

(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 59 p. 224.)

XXXVI. Signum sensibile externum

Confratern. SS. Sacram.

Pius PP. VII.

V. Episcopo Giennensi.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres Congregationis seu sodalitates sub titulo SS. Sacramenti in parochiali ecclesia s. Petri villae di Torre de Ximeno nuncupatae istius Giennensis Dioecesis, canonice, prout asseritur, erectae, multum sodalitati praedictae fore adjumenti ad divinum cultum promovendum devotionemque confovendam, si praedictis exponentibus in sacris peragendis functionibus ecclesiasticis *signum sensibile eucharistici Sacramenti, figuram hostiae calici superpositae exhibens, in habitu sodali* vel depictum vel opere phrygio distinctum gestare posse concederetur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur dictos exponentes ac singulares eorum personas specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter correctis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis et si id in Domino expedire censueris, praesentibus et pro tempore existentibus confratribus Congregationis seu sodalitates praedictae, ut ipsi in omnibus et singulis functionibus ecclesiasticis ac actibus publicis ejusdem confraternitatis sig-

num superius descriptum *in sinistra vel dextra parte pectoris supra habitum sodalem* prius a te recognoscendum gestare libere et licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica indulgeas atque concedas; illosque desuper a quoquam impediri, molestari vel perturbari nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, dicta auctoritate decernes.

Datum Romae die 26. Junii 1821.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 417.)

XXXVII. Thurificatio.

Vd.: *Incensatio SSmi.*

a) *Ad Benedictus.*

Vd.: *Instr. Clem. §. XXXI. n. 23 etc.; Incens. SSmi (ad bened.)*

Ad dub.: In Expos. SSmi, dum a Sacerdote benedictio fidelibus imperitur, licet neene thuriferario incensare SSmum?

S. C. resp.: Non praescribi et servandam consuetudinem locorum.

Die 7. Septbr. 1861.

b) *Ad Elevationem.*

Caeremoniarum seu aliquis Acolythus, imposito a se ipso vel ab alio thure *absque benedictione* in thuribulum, thurificat Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini, dum elevatur, ter pro unoquoque ducens thuribulum. *Caer. Ep. I. II. c. VIII. n. 70.* Subdiaconus ad elevationem imposito per aliquem Acolythum thure thurificabit *in missa def.* SSmum genuflexus in cornu Epistolae. *Ibid. c. XI. n. 8 cf. Instr. Clem. §. XXXI. n. 23.*

c) *In tabernaculo inclusi.*

Vd.: *Thurif. SS. Sacram.; Thurific. altarium. Incensatio.*

XXVIII. Translatio ex Ecclesia polluta.

Vd.: *Profanatio eccles. (adestne, decr. diei 9. Juni 1714 Amalph.)*

XXXIX. Visitatio.

Vd.: *Visit. SS. Sacram.*

SACRARIUM.

Ecclesia in tres partes seu mansiones distribuitur. Prima pars seu mansio est ea, quae prope Altare majus constituitur et solet concellis includi, et appellatur Sacrarium sive Presbyterium sive Sancta Sanctorum. Secunda pars est Chorus; tertia et reliqua pars est illa, quae Navis appellatur. Prima pars, quae appellatur Sacrarium sive Presbyterium sive Sancta Sanctorum, est ea mansio, quae ab Altari majori vergit versus Ecclesiam. Et appellatur Presbyterium seu Diaconium, quia ibi sunt Presbyteri, quibus Diaconus et Subdiaconus Sacra peragentibus ministrant; cap. 1. *de vita et honestate Clericor.* verb.: Sed illa pars; *Lotter* de re benefic. lib. 1. q. 13. a num. 18., et appellatur nobilior pars Ecclesiae, quia denotat vitam contemplativam, *Coccin.* decis. 142. num. 1. Licet alias omne Deo consecratum largo modo Sanctum Sanctorum appellatur, cap.: *Nulli* 3. caus. 12. quaest. 2., *Zabar.* cons. 14. in princip., *Francez* de Eccles. Cathedral. c. 5. num. 38 Sacrarium dicitur, quia in talem locum seu partem non licere ingredi nisi Ministris sacris fuit decretum in Concil. Agathens. can. 65., ibi: „Non oportet non sacros Ministros in Sacrarium, quod Graeci Diaconium appellant, ingredi, et in Concil. Laodicensi cap. 19. ibi: Solis autem Ministerio sacro deditis liceat ad Altare ingredi, et in eo communicare.“ Unde non sacros homines ibidem sacra vasa contingere non posse fuit statutum tot. tit. de conse-

crat. dist. 1. juncta Glossa in c. 1. verb.: *Sed pars illa*, de vit. et honestat. Clericor.

SS. SACRIFICIUM MISSAE.

Vd.: *Missae.*

Utrum liceat in Parasceve missas priv. celebr.? Vd. *SS. Sacram.* (Distrib. in Parasc.); *Sabbat. s.* (missa priv.)

SACRISTA.

Vd. *Mundit. Eccles.; Laic.* (quomodo etc.); *Scoparius.*

1) Electio, Munus.

Officium Sacristae in singulis ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis per necessarium est, idcirco in Sacristam eligendus est, qui ad hujusmodi officium fideliter et strenue exercendum idoneus et aptus merito censi possit. Assumendus autem est de gremio ipsius ecclesiae vel aliunde, prout magis expedire videbitur, qui in sacerdotali ordine sit constitutus, et cui praesto esse debent alii clerici coadjutores plures vel pauciores pro Ecclesiae necessitate et facultatibus. Ejus praecipua cura erit, ut Paramenta, sacra vasa, libri, cerei, ornamenta instrumentaque pro usu Ecclesiae et altarium ac reliqua praeterea suppellex ecclesiastica sana, integra et munda conserventur; eaque cum attrita aut lacera erunt, renovari aptarique procuret. Sed imprimis (ubi alias talis cura peculiariter non sit commissa alteri) diligentissime curabit, ut ea, quae ad Sacrosanctae Eucharistiae cultum et honorem spectant, nitide conserventur locusque seu tabernaculum, ubi custoditur, diligentissime et fidis clavibus obseretur; Lampades circa illam perpetuo ardeant; illaeque saltem semel in hebdomada mutentur et renoventur; ad infirmos debita cum reverentia et honore deferatur. Circa fontem pariter baptismalem et sacri

Chrismatis aliorumque sacrorum Oleorum conservationem diligentissimam curam adhibebit, juxta praescripta sibi ab Episcopo et aliis, ad quos spectat, normam. Et quod ad sacrum Oleum Infirmorum attinet, procuret illud in vase ab aliis separato custodiri illudque solum ab aliis sejunctum ad unguendos Aegrotos deferri. Idem et de sacris Sanctorum Reliquiis dicitur, ut scilicet fideliter et honorifice asserventur. Aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur, ac denique, ut tota Ecclesia et singula illius sacella et altaria semper munda et nitida sint, nec per incuriam obsordescant. Curabit etiam pro temporum dierumque Festorum qualitate, ut ea decenter ornentur. Cum Missae et caetera divina officia solemniter celebranda erunt, sive per Episcopum sive per alios, ipse peculiarem curam geret, ut altare majus, credentia, tribuna, chorus et secretarium, ubi Episcopus sacris vestibus paratur, necessariis rebus et ornamentis instruantur opportune, ne eorum aliqua deesse contingat, in quibus perquirendis et exspectandis indecenter atque incommode tempus teratur. Aderit apud altare in Cornu epistolae, cum oblata erunt offerenda; et praegustabit de Hostia, vino et aqua porrigente Diacono. Ad eum etiam spectat, ut per Campanarum sonum indicentur horae Vesperarum, Matutinorum et Missae ac reliquarum horarum canonicarum; item cum in Missa majori elevatur SS. Sacramentum, vel quando illud ad infirmos deferendum est et ut matutino, meridiano ac vespertino tempore diebus singulis Salutationis Angelicae signum detur, demum, ut ab ipsa Sacristia Laicorum nimia frequentia, indecentes sermones, jurgia, rixae actusque prophani removeantur, et diligentiam adhibeat, ut Sacerdotes Missas celebraturi opportuno tempore et ordine exeant, pro populi

personarumque concursu. Ad ipsum spectabit eleemosynas, quae pro Missis celebrandis dantur, custodire et adnotare in libris Sacristiae et inter illos, ad quos spectat, distribuere. Habeatur Tabella, in qua descriptae sint Missae et Anniversaria infra Annum statutis diebus celebranda, ut omni exacta diligentia Benefactorum intentioni satisfiat. Invigilet idem Sacrista, ut mantilia pro manibus Sacerdotum, qui celebraturi sunt, in promptu habeantur eaque sint munda et nitida: omniaque alia providere studeat, quae secundum Ecclesiae ritum et consuetudinem providenda erunt. Ut vero magis accurate tam Sacrista quam ipsius Adjuutores munus suum adimpleant, optime factum erit, si unus vel duo ex Canonicis eis praeficiantur, singulis annis vel saepius, uti plus expedire videbitur, mutandi, ut sic per vices majorem de rebus Ecclesiae suae notitiam assequantur.

Caer. Ep. l. I. c. VI.

Ad. dub.: An *Subsacristae* in eadem Ecclesia eligi valeant quolibet anno absque intelligentia et approbatione Archipresbyteri in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 28. Aug. 1756 et 3 Decbr. 1757

(Ex statutis FFr. B. V. M. de Mercede redempt. Captivor.)

Innocentius XII.

Tantum ad Ecclesiae cultum sit maxime Sacrista sollicitus, ut debito ornatu et honestate perfulgeat, eam et Capellas frequenter everti faciat. Altaria singulis diebus mundentur a pulvere. Ornamenta omnia non incomposita, sed quasi Deo sacra pie et devote contrectet, linea non minus sordere patiat, sed crebris juxta usum lotionibus niteant et corporalia

permaxime universa quidem si sint lacera resarcienda curet, neque omnino disrupti permittat.

Die 2. Febr. 1692.

(Bull. r. t. XI. p. 89. Ed. Luxbg.)

Bened. PP. XII. de ref. Monach. nigrorum s. Bened.

Sane universis et singulis antistitibus, prioribus, decanis, praepositis, sacristis et administratoribus aliis, quibus hoc competit, in virtute obedientiae districte injungimus, ut Ecclesias, oratoria, altaria, vasa, corporalia, vestimenta et alia ornamenta ecclesiastica munda et nitida conservent et faciant ab aliis conservari; quodque de breviariis, missalibus aliisque libris et vestimentis ac ornamentis quibuslibet necessariis omnino provideant seu avertant provideri.

Die 20. Junii 1336.

(Bull. r. t. IV. p. 382. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Benedictus PP. XII.

Constitut. totius Ord. Canon. regul. Ord. s. Augustini.

Solliciti sint antistites, abbates, praepositi, priores, sacristae et administratores alii religionis praefatae, quocumque nomine censeantur, quibus incumbit Ecclesias, oratoria, reliquias, vasa, corporalia, vestimenta et alia ornamenta ecclesiastica munda et nitida conservare et facere ab aliis conservari; et breviariis quoque, missalibus aliisque libris et vestimentis ac ornamentis quibuslibet necessariis, juxta facultates et exigentiam locorum suorum, Ecclesiis et locis eisdem omnino provideant seu faciant provideri: quod si praemissa pro posse adimplere neglexerint, ad ea complenda competentibus remediis compellantur, et si opus fuerit, pars proventuum beneficiorum eorum

per superiores recipiatur eosdem, et in praedictorum provisionem per aliquem idoneum convertatur.

Die 15. Maii 1339.

(Ibid. p. 456.)

Sacristae seu Praefecti Ecclesiarum Regularium adstringi possunt ad non permittendum in eis celebrationem Sacerdotum saecularium, nisi exhibita Ordinarii licentia. Sacra Congregat. Concil. in Neapolitana 17. Augusti 1630.

Sacrista in Ecclesia Cathedrali est dignitas et requiritur sacerdotium. *Sacra Rot.* recent. par. 14. decis. 169. n. 8.

Si intervenerit Funeribus Capitulum Ecclesiae Cathedralis, in hoc casu Curatus et Sacrista illius Cathedralis, licet sint amovibiles, debent praecedere Parocho Defuncti. Sac. Rit. Cong. 22. Mart. 1631.

Determinatis horis pulsandi Matutinum et alias Horas canonicas, et pulsata campana per Sacristam aut ejus deputatum, ac in Ecclesia accensis luminibus, divina officia differri non valent ad alicujus instantiam; et Hebdomadario absente Archidiaconus jubere debet alteri, ut incipiat. Sac. Cong. Episc. in Theatina 18. Apr. 1617.

2) Laicus.

Vd.: *Vasa s.* (tractatio.)

Ad. dub.: An deputatio Laici in Sacristam Cathedralis sustineatur?

S. C. C. resp.: Sacristam debere esse saltem Clericum.

Die 26. Mart. et 13. Apr. 1720 S. Marci.

3) Pro capella in hon. B. V. M. erecta in Basilica S. Mariae Majoris Urbis.

Paulus PP. V.

Ex duodecim Capellanis pro servitio Capellae B. V. M. destinatis unus

a pro tempore existente Patrono deputetur Sacrista, qui ad ejusmodi Patroni nutum amovibilis existat et curam celebrationis Missarum nec non custodiam sacri suppellectilis ornamentorumque et paramentorum ad Capellae praedictae usum pro tempore pertinentium, vasorum, tam auri et argenti, quam aliarum rerum et universae suppellectilis sibi sub inventario consignandorum habeat aliaque Sacristae hujusmodi officium concernentia gerat, exerceat rationem computum paramentorum, et suppellectilis hujusmodi, et aliorum ejus curae commissorum dictae Capellae Patrono singulis sex mensibus, et quoties ab eo fuerit requisitus fideliter reddat, et de ratione hujusmodi reddenda et reliquum consignando se obligat cautionemque idoneam, si eidem Patrono placuerit, etiam praestet, paramenta, ornamenta, vasa vel alias quasvis res et bona Capellae et Sacristiae hujusmodi, quibusvis personis, Capitulis, Ecclesiis, Monasteriis aut aliis locis, juxta formam alienarum literarum desuper a nobis emanatarum et sub eis contentis poenis, accomodare non praesumat.

Item de paramentis, ornamentis, vasis totaque suppellectili et rebus omnibus Sacristiae, ejus curae commissis, inventarium duplicatum, ab eodem Sacrista subscriptum conficiat, quorum unum penes eum remaneat, quod etiam singulis quibusque sex mensibus revideatur et renovetur.

Die 9. Novb. 1615.

(Bull. r. t. III. p. 358. Ed. Luxbg.)

SACRISTIA.

1) Baptismus in ea non sol. administr.

Dub.: An, ubi viget consuetudo, liceat baptismi sacramentum solemniter administrare in sacristia Cathedralis?

Resp.: Cum nulla christianae religionis profitendae esset libertas, nulla fidelibus essent templa, nullus etiam ad tingendos Christi discipulos designatus esset locus, ubi primum occurrissent aquae, ibi primaevi christiani baptizabant. Reddita tamen Ecclesiae pace per Constantinum imperatorem, coeperunt passim construi sacrae aedes publicae ad unum baptismatis ministerium designatae, quae baptisteria aliisque nominibus appellabantur. Cum autem id factum est, adeo Ecclesia semper sollicita fuit, ne baptismum solemne alibi nisi iis in locis administraretur, ut non semel in conciliis congregata canones eddiderit, quibus depositionis poenam minabatur iis presbyteris, qui in ecclesiis non baptizarent. Omissis, quae hac super re decreverunt synodus Trullana anno 692 celebrata et Meldensis anno 845, referam tantum decretum, quod in concilio generali Viennensi edidit Clemens V. romanus pontifex:

„Praesenti prohibemus decreto, ne quis de caetero in aulis vel cameris aut aliis privatis domibus sed dumtaxat in ecclesiis, in quibus ad hoc fontes specialiter sunt designati, aliquos... audeat baptizare. Qui autem secum praesumpserit aut suam in hoc praesentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non praesumant.“ Quod vero tam cordi fuit in veteri disciplina, aliter esse non poterat in praesenti. Porro rituale romanum (*de tempore et loco administrandi baptismum*) expressis verbis haec mandat: *licet urgente necessitate ubique baptizare nihil impediatur, tamen proprius baptismi administrandi locus est Ecclesia, in qua sit fons baptismalis vel certe baptisterium prope ecclesiam.* Cum itaque Ecclesia, simul ac valuit, locum de baptismo conferendo peculiariter statuerit semperque inspe-

xerit ne alibi administraretur, palet consuetudinem ecclesiae metropolitanae Chilensis omnino esse reprobendam, ideoque respondendum: *Negative.*

S. C. resp.: *Negative nisi adsit rationabilis causa ab Archiepiscopo approbata.*

Die 16. Apr. 1861.

(Anal. I. P. 1861. 786.)

2) Conversatio in Sacristia.

Vd.: *Silentium*; *Habitus Clericor.* §. 7.

3) Ecclesiar. Monaster.

Sacristia contigua Choro alicujus Monasterii Religiosorum est sub clausura comprehensa. Sac. Congr. Episc. et Regul. in Sulmonen. 10. Aug. 1615.

4) Egressus.

Quod praescribitur in Caeremoniali, ut Canonici de Sacristia egrediantur bini, intelligitur in solemnitatibus.

S. C. R. 12. Julii 1628.

5) Officium recitand. in Sacrist.

Tolerandum est, quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in Sacristia. Sac. Cong. Episc. in una S. Severini 13. Septembris 1641.

Vd.: *Canonici* (param. et locus); *Sacristia post altare situm* vd.: *Altare* (accessus).

6) Visitatio.

Vd.: *Visit. Sacristiae.*

SACROSANCTAE ET INDIV. TRINITATI etc.

1) Indulgentia.

Urbis et Orbis.

Cum Sacrae huic Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae in una Melden inter alia exhibitum fuisset enotandum: „An ad lucrandam Indulgentiam vel fructum ora-

tionis „Sacrosanctae et individuae etc.“ necessario flexis genibus haec oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo recitari valeat?“ Emi Patres in generalibus Comitibus die 5. Martii superioris anni apud Vaticanas Aedes habitis respondendum esse duxerunt: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam“. Facta itaque SSmo. D. Nostro Pio PP. IX. relatione per me infrascriptum s. Congregationis Secretarium die 12. ejusdem mensis Sanctitas Sua votum Patrum approbavit. In audientia vero SSmi. die 12. Julii ejusdem anni ab Emo Cardinali praefatae s. Congregationis Praefecto habita, eadem Sanctitas Sua ex speciali gratia clementer indulsit, ut Oratio *Sacrosanctae* etc. pro lucranda Indulgentia a s. Mem. Leone PP. X. adnexa seu fructu dictae orationis etiam non flexis genibus recitari possit ab eis, qui legitime impediti fuerint infirmitatis tantum causa. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae et Secretaria ejusdem s. Congregationis Indulgentiarum die 7. Januarii 1856. — Loco † Signi. — *F. Cardinalis Asquinus* Praef. — *A. Colombo* Secretarius.

Ad dub.: An ad lucrandam Indulgentiam vel fructus Orationis: *Sacrosanctae* etc. necessario flexis genibus haec Oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo recitari valeat?

S. C. resp.: *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

Die 26. Julii 1855.

(Anal. I. P. 1857 p. 2080 et 2840)

2) Recitatio.

Ad dub.: In vigiliis et quatuor temporibus, quando post Nonam dici debet

missa conv., recitata Nona vel adhuc non dicta Nona, an debeat concludi divinum officium cum recitatione antiphonae finalis B. M. V. et caeterarum precum non exclusa oratione *Sacro-sanctae* etc.?

S. C. resp.: Servetur rubrica et detur decretum.

Die 7. Septbr. 1561.

Vd.: *Antiphona B. M. V.*

SAL.

(Exorcizandus.)

Quoties fit aquae benedictio, non toties sal est exorcizandus sed adhiberi potest jam in hujusmodi functione exorcizatus et in hunc usum servatus. n. 3853 ad 3 die 8. Apr. 1713.

SALUTATIO ANGEL.

Ad dub.: an stante consuetudine, ut ad pulsationem salutationis angelicae populus genuflectatur, liceat patribus Dominicanis Sypuntinae signum dare ante Calhedralem?

S. C. resp.: *Affirmative.* n. 3130 ad 3 die 22. Febr. 1687.

Ad dub.: In Cath. Angelopolitana Eccl. interdum in Dominicis solemniter Matutinum persolvitur et ad occasum solis et ultra perducitur, ac recitata Antiphona finali temporis, Canonici et reliqui de Choro ex antiqua consuetudine remanent genuflexi recitantes Orationes noctis, scilicet *Angelus Domini*; quaeritur: an sic manere debeant vel potius stando eandem Orationem recitare?

S. eadem C. respondendum censuit: „Juxta concessionem pro lucrandis Indulgentiis.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5102 ad 2 die 11. Septbr. 1847, n. 4776 ad 6 die 12. Mart. 1836.

Vd.: *Indulg.* (Salutat. etc.)

Sermocinator vadit ad ambonem et capite detecto signat se signo crucis et genuflexus recitat *salut. angel.*, non *Regina coeli* etc. etiam tempore pasch., voce intelligibili et devota, mox surgit et capite cooperlo incipit sermonem. *Caer. Ep.* l. I. c. XXII. n. 3.

Vd.: *Praedicator.*

SALUTATIO.

1) Mutua in choro.

Vd.: *Chorus; Reverentia; Praeses* (c. VII.); *Concionator.*

Ad dub. I.: Utrum, quando aliquis muneris sui adimplendi causa per chorum ventitat v. gr. Caeremoniarius vel Subdiaconus ad sedem Episcopi pro praecinationibus, omnes de choro, aequalis vel inferioris dignitatis assurgere et stare debeant?

Resp.: Caeremoniale Episcoporum lib. I. cap. XVIII §. 4 praescribit salutationes, quae superveniente in chorum Canonico, inchoato jam officio vel missa, vicissim praestari debent: „salutat Canonicos et alios de choro circumstantes, tunc et non prius ei assurgentes et eum resalutantes.“ Hinc fortasse ortum est dubium: an scilicet haec Caeremonialis dispositio ad eum extendatur, qui non prima vice supervenit sed muneris sui exercendi causa ventitat, ut ait dubium, per chorum. Nihil profecto de hoc statuit Caeremoniale et contrarium observatur in communi praxi. At quoniam in dubio, ex gratia majoris perspicuitatis, adducitur exemplum praecinationis antiphonarum in vespere pontificalibus faciendae a Subdiacono (vel alio, ad quem de Ecclesiae consuetudine spectant), comitante Caeremoniario, liceat mihi ex eodem normam responsionis insinuare. Non enim in accessu aut, ut dicitur, ventitatione Caeremoniarii et Subdiaconi jubet Caeremoniale, Canonicos et omnes

2) Erga Magistratum.

Firmana.

Ad instantiam fratrum Augustinianorum terrae de Monte Corsaro Dioecesis Firmanae supplicatum fuit apud S. Rituum Congregationem pro declaratione decreti alias sub die 3. Aprilis 1677 ad favorem magistratus dictae terrae super salutatione emanati et signanter in illis verbis: ingressu et regressu. Et eadem s. Congregatio respondit: In ingressu et regressu magistratum salutare debent ex urbanitate toties quoties ipsi fratres voluerint et non aliter et ita declaravit.

Die 28. Januarii 1682.

(Anal. J. P. 1865 p. 1240 n. 2187.)

Vd.: *Reverentia.*

3) In Triduo sacro.

Vd.: *Reverent. in Trid. s.*

SALUTEM ET APOST. BENEDICTIONEM.

Quod formulam spectat: *Salutem et Apostolicam benedictionem*, quam et initio literarum Romani Pontifices apponere consueverunt, scribit in suo Chronico Martinus Polonus, qui claruit anno 1277, S. Cletum fuisse primum Romanorum Pontificum, qui in literis ea formula usus est: *Salutem et Apostolicam benedictionem*; quod etiam legitur in Breviario Romano jussu s. Pii V. edito ad diem XXVI. Aprilis, quo idem s. Papa colitur. Sed dubitant eruditi Viri, cum scriptum id primum fuerit a recenti Auctore, qualis est Martinus Polonus, habito respectu ad s. Cletum, qui, ut ajunt, creatus Pontifex fuit anno Christi 77 nullaque extet Cleri Epistola, quae faciat ejus rei fidem. Illa formula, uti notat in laudati Papae Vita Pagius et post eum Sandinus, antiquior non est Saeculo VII.

alios in choro praesentes assurgere, sed tunc tantum, cum surgit Canonico, cui praecinationatur antiphona: „Surgente autem Canonico, cui praecinationatur antiphona, Canonici et omnes alii in choro praesentes surgunt; lib. II, cap. I.“

Praetereundum vero silentio non est, quod licet sexies, aut, si addatur hymnus, etiam septies Subdiaconus pergere debeat ad praecinationes, tamen, cum is numerus in dubio recenseatur ratione assurgendi et standi, excludendae ab eo essent praecinationes hymni et antiphonae ad Magnificat et primae, quae fiunt celebranti, cum chorus jam stat.

Post haec propositio Dubio respondendum puto:

„Negative et servetur Caeremoniale Episcoporum.“

II.: Utrum ministris altaris vel caeremoniario chorum salutantibus per missam aut per officium chorus correspondere debeat, et quatenus affirmative, utrum deponendo biretum, utrum assurgendo?

Ex laudabili ac fere universali consuetudine chorus assurgit solummodo, quando a celebrante salutatur vel idem celebrans ante eum transit, accedit ad chori cancellos, palmas, cineres etc. populo distributurus. Ad transitum autem et ad salutationem ministrorum (etiam Diaconi et Subdiaconi) chorus caput aperire tenetur. Responderem itaque: Affirmative caput aperiendo juxta praxim.

S. C. resp. ad I.: Negative et servetur Caeremoniale Episcoporum;

ad II.: Affirmative caput aperiendo juxta praxim.

Die 12. Septbr. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 335.)

quo in fine vergente Joannes V. et Sergius I. ea usi sunt, ut constat ex eorum Rescriptis a Mabillonio productis in suo Opere de re diplomatica, lib. V. p. 436 et lib. VI. p. 622. Ante Leonem IV. vel saltem Gregorium VII. Formulam istam non fuisse stabili usu receptam censet Daniel Papebrochius in Conatu Chronico-Historico ad Catalogum Romanorum Pontificum, ad s. Cletum, num. IV., et Joannes Garnerius Dissertatione I. ad librum diurnum eorundem Pontificum p. 152, in qua dissertatione disputat de inscriptione Epistolae, qua summus Romanus Pontifex ad alios scriberet et ad ipsum scriberetur.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. I. I. p. 85.)

SS. SALVATOR.

(Ut Patronus vel Titular.)

Ad dub.: An Archiepiscopo Bahiae civitatis liceat declarare SS. Salvatorem non esse *Patronum* sed semper fuisse et esse *Titularem* civitatis Bahiensis ejusque Cathedralis adeoque in posterum pro *Titulari* habendum et colendum sub eodem ritu, quem nuno habet et semper habuit, quando Patronus existimabatur.

S. C. resp.: Licere prout in dubio. n. 4239 ad 1 die 16. Febr. 1754.

Ecclesiae, quae Titularem habet SS. Salvatorem, congruit, ut festum de Titulari celebret cum Officio Transfigurationis die sexta Augusti cum octava.

S. R. C. 29. Nov. 1755; 23. Maii 1835.

SALVE REGINA.

(Post miss. recitandum.)

Ordinis Carmelitarum excalceatorum Congreg. Hispaniae.

Porrectis per Patrem Joannem Evangelistam a Jesu Maria Pro-

curatorem Generalem Ordinis Carmelitarum excalceatorum Congregationis Hispaniae humillimis precibus SSmo Domino Nostro Clementi XIII. pro extensione piae consuetudinis vigentis etiam ex permissione Sanctae Sedis apud Fratres Ordinis Carmelitarum antiquae observantiae recitandi in fine Missae Antiphonam: Salve Regina vel aliam secundum tempus cum Versiculis et oratione ante ultimum Evangelium, ad Fratres Carmelitas excalceatos Congregationis Hispaniae, Sanctitas Sua, referente me infrascripto Secretario, gratiam petitam benigne concessit.

Die 29. Novbr. 1766.

(L. † S.) *Joseph. Maria C. Feroni,*
Praef.

V. Macedonius,
S. R. C. Secretar.

(Anal. J. P. 1857 p. 2156.)

SANCTA SANCTORUM.

Vd.: *Sacrarium.*

SANCTI.

1) Canonizati.

a) Cognomina.

Vd.: *Cognomina SSrum.*

b) Honores.

Sanctis canonizatis septem debent honores notavit jam post Bellarminum eruditus Rocca in suo Commentario de Canonizatione Sanctorum cap. XXXVIII. Sunt autem sequentes: I. Canonizati Catalogo Sanctorum adscribuntur, hoc est, jubetur ac statuitur, ut ab omnibus publice colantur ac dicantur Sancti II. Canonizati in publicis Ecclesiae precibus invocantur. III. Tempa et Arae Deo in eorum memoriam et honorem eriguntur. IV. Sacrificia tam Sacrosanctae Eucharistiae quam laudum et precum, quod passim Officium sive Horae canonicae nuncupantur, Deo

4) Ad libitum.

I. Assignatio diei perpetuo impeditorum SSrum.

Vd.: *Transl. perpet.* (licet Episcopo.)

Cum festum s. Canuti m., quod est ad libitum, ob occurrence festi dupl. nunquam potest celebrari, pariter et festum s. Laurentii Just., supplicatur humillime S. R. C., ut possit a loci Ordinario assignari certa et fixa eisdem festis dies, similiter ut festo s. Remigii, quod occurrit infra octav. Dedic. Ecclesiae.

S. C. resp.: Ordinarius ut semel et pro semper assignare possit diem non impeditam extra dominicam et octavas festis s. Canuti, s. Laurentii Just. et s. Remigii non immutata tamen lege SSrum ad libitum.

Die 7. Maii ad 3 in *Varasav.*

II. Translatio.

Vd.: *Festum ad libitum; Dominicae quadrag.; S. Alexius; Officium* (ex Indulto concess.) *Translat. festi part.* (decr. de die 12. Sept. 1840.)

De Sanctis ad libitum fieri potest translatio sicut fit de aliis Sanctis, qui non sunt ad libitum, similiter translatis. n. 2565 die 16. Sept. 1671.

Praedicto decreto (n. 2565) non obstante in futurum Officia SSrum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sunt impediti die dominico aut aliquo alio die festorum mobilium. n. 2763 die 11. Jan. 1676.

Vd.: *infra decr. de die 7. Maii 1678.*

Ad dub.: an stante decreto, ne Officia SS. ad libitum occurrence die dominica aut aliqua die festorum mobilium transferantur, an, inquam Officia occurrence infra octavas eorundem festorum mobilium transferenda sint?

S. C. resp.: Non transferenda sunt. n. 2887 ad 1 die 6. Maii 1679.

in honorem eorundem publice offeruntur. V. Dies festi in eorundem honorem celebrantur. VI. Imagines eorundem pinguntur, addito certo quodam lumine, in signum gloriae, quam habent in Coelo. VII. Eorundem Canonizatorum Reliquiae pretiosis thecis inclusae publice in Ecclesia honorantur. Legendus laudatus Bellarminus lib. I. De Beatitudine Sanctorum; sed prae caeteris Auctoribus SSmus Dominus Noster Benedictus XIV. lib. I:

De Servorum Dei Beatificatione etc. cap. XXXVII., quod inscriptum est: *De actibus cultus Servis Dei post Beatificationem deferendis,* ubi rem ipsam fuse ac solide doctissimeque pro more dilucidavit.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. I. I. p. 242.)

2) Non Canonizati.

(Officium.)

Ubi viget consuetudo immemorabilis, potest recitari officium de Communi pro Sanctis etiam non Canonizatis. S. R. C. 11. Junii 1605 in Visen; et reperitur Brev. Minor. Observ. n. 61. Vide n. 61, 67.

3) Commemoratio.

Ad dub.: An sacerdos, qui a fidelibus eleemosynam accipit ad celebrandam missam in honorem alicujus sancti vel de aliquo mysterio, dum ritus non permittit celebrationem missae votivae, possit saltem missae occurrence commemorationem addere Sancti ipsius vel mysterii?

S. C. resp.: Non licere.

Die 7. Septbr. 1850.

(Corresp. de Rome 1851 Ed. II. n. 57 p. 205.)